

# O R D O

## ADMITTENDORUM AD GRADUS CANDIDATORUM.

Deductâ in Curiam pompâ, postquam consederunt omnes, et facto silentio, Cancellarius causam habendorum Comitiorum exponit.

C. Habendorum hodie Comitiorum causa est ut qui anno superiore cursum Institutionis Academicæ ritè compleverint ad gradus promoveantur; laude digni honoribus prout quisque meritus est decorentur; necnon ut cætera peragantur quæ ad communem Academiæ salutem pertinent. Ad quæ expedienda Ego, auctoritate meâ et Senatûs Academici, hoc concilium ritè et solemni jure esse convocatum pronuntio.

Tum Decanus nomina eorum qui honore aliquo dignati sunt ex catalogo recitat; ipsumque catalogum, a Decano acceptum, Procurator Senior Cancellario in manus tradit.

Post recitata scripta præmiis dignata, donandi honoribus suo quisque ordine, Cancellario de more commendantur; scilicet lauro

ornati; in classen primam relati; beneficiis annuis dignati, tum generalibus, tum iis quæ certis doctrinis assignata sunt.

Deinde Decanus ad Gradum aliquem promovendorum nomina ex catalogo recitat, et Senatui illorum verbis gratias supplicat.

D. Supplicant amplissimo Ordini A. B. C., quum, (novenos terminos in studio Artium posuerint, Professores Publicos diligenter audiverint, Examinatorum Academicorum quæstionibus satis responderint, cætera, prout statuta requirunt peregerint; ut admittantur ad Gradum ( )

Recitatam supplicationem et a Decano acceptam Procurator Junior Cancellario in manus tradit; qui Senatores sententiam rogat his verbis.

C. Placetne Vobis Domini, ut istæ quæ petuntur concedantur gratiæ?

Respondent illi prout lubet, Placet, aut Non Placet. Qui si aucterint, concessas gratias ita pronuntiat.

C. Concessæ sunt quas petitis gratias: et sic pronuntiamus concessas.

Tum Decanus e curia exit, statimque reversus, præunte Bedello, sequentibus Candidatis habitu ad gradum competente indutis ad superiorem partem Domûs ascendit: et candidatorum unum quemque dextra manu prehensum, coram Cancellario sistit; et capite qua par est reverentiâ inclinato, solemni formula commendat.

D. Honoratissime Cancellarie, amplissimi Senatores, vosque egregii Procuratores, commendo vobis hos meos Scholares in Facultate artium, quos scio tam moribus quam doctrina idoneos esse ut admittantur ad gradum ( )

Tum præunte Procuratore Seniore, omnes fidem dant Academicæ in hæc verba.

P. Ad seniolem conversus,—Domine dabis fidem te omnia statuta, jura, privilegia et libertates istius Universitatis sanctissime esse observaturum.

RESP: Do.

F. Dabis fidem te neque Academiae pacem ultro perturbaturum; et si qua exarserit seditio aut contentio, pacis semper et concordiae auctorem futurum.

RESP: Do.

P. Ad reliquos conversus. Quod de se spondit M.N. idem vos quoque de se quisque spondetis?

RESP: Spondeo.

REGISTRAR: Testor hos omnes coram me, in publicis Academiae actis nomina sua subscripsisse.

Tum singulos Decanus ad Cancellarium deducit; qui unumquemque dextra manu prehensum ita alloquitur.

C. Domine ego auctoritate mea et totius Universitatis admitto te ad gradum ( ) necnon ad omina facienda, obeunda, usurpanda, quae ad istum gradum spectant.

---